

Disputatio medica inauguralis de rubeola / [Robert Baikie].

Contributors

Baikie, Robert, 1799-1889.

Publication/Creation

Edinburgh : [publisher not identified], [1820]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nnwvqptw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA &

INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA.

AUCTORE ROBERTO BAIKIE

PROÆMIUM.

NULLI sunt morbi, quibus obnoxia est gens humana, qui plus medicorum attentionem vindicare videntur, quam ii, epidemici vulgò dicti. Et praecipue quum aetatem teneram infantilem invadunt, priusquam corporis et animi vires adeo confirmatae sint ut morbo lethali aequè resistere possint, et quoniam vix hominum quispiam est qui non semel sic laboret ante legitimam aetatem, certè cogitationem nostram seriam et intentam duplicè postulant. Vix medicus est, qui nunquam Rubeolae populationes vidit, et qui in casibus quamplurimis, nisus medicinae



[1820]

inutiles ad morbum aut curandum aut levandum non deploravit. His rationibus igitur, et academiae hujus inclytæ legibus, quae ab omnibus, qui summos in medicina honores petunt, scientiae medicae specimen exigunt, obediente, quaedam de Rubeola scribere statui. Et quamvis natura et curatio hujus morbi, ut aliorum ferè omnium, quibus obnoxia est gens humana, auctoribus diversis tam benè investigatae repertaeque sint, ut vix novi aut utilis quidquam, rei medicae etiamnum studiosus, et experientia ferè omninò carens, in lucem proferre possim ; attamen mihi multò magis in animo est, ex illo experientiae et scientiae acervo, qui ab aliis in re medicâ peritis cumulatus fuit, aliquid depromere, quàm in campos theoriae interminatos dubiosque me conferre.

Scriptoribus antiquis, ante seculum octavum seu nonum scilicet, morbus, aequè ac variola, ferè ignotus fuisse videtur ; quamvis non desunt auctores (inter quos **BATEMAN**



celeberrimus) qui in GALLENI, HIPPOCRATIS aliorumque veterum scriptis, Rubeolae et variolae descriptionem invenisse credunt. Sed de hoc minimè constat; nam haud facile credere possumus, auctores ingenio praeclaros, qui signa morborum omnium aliorum qui tunc observati fuerant, tam fusè tamque dilucidè dixerunt, illas pestes, si notae, silentio praeterituros fuisse, verbisve adeo ambiguè descripturos, ut de aliis quibusdam morbis, quibus itidem efflorescit corpus, pariter dici possint.

ARHAZE, igitur, scriptore Arabico celeberrimo, qui circa seculum nonum floruit, Rubeolae notitiam primam accuratam tenemus; et scriptis ejus etiam, quae ad nos pervenerunt, variolâ tam confusa est, ut pro morbo eodem, quoad curationem saltem, habuisse videtur. Anno post CHRISTUM natum sexcentesimo vicesimo, (quo tempore de Mecca ad Medinam MAHUMETES fugit) morbum inter Arabes primùm apparuisse dicit. Inde, prout potestas et religio Mahumetanae in omnes

Orientes partes protendebantur, ita invehebatur morbus; et de Ægypto (quò sine dubio Saracenis victoribus advectus fuit) per Syriam, Palestinam et Persiam serpsit; et dehinc, secundum oram Asiaticam per Lyciam et Ciliciam: exinde in locos Africae maritimos; ab Africa ultra mare Mediterraneum in Hispaniam; et denique ab hac brevi per omnes gentes Europæas. Censentur quoque, et forsàn recte, militiae sacrae (Anglicè, Crusades) ad hoc malum per Europam diffundendum haud parùm conduxisse. Tempore quo Europæ primùm incubuerunt Rubeola et variola, multò quam nostris temporibus lethaliore pestique similiore fuisse videntur; sed an labentibus annis, imminuta sit earum asperitas (quod verisimile est) an meliorem curandi rationem docuerit experientia, haud facillè dicere possumus.

Animalia quaedam, praeter omnia porci, morbo Rubeolam aliquandò simulanti, valdè obnoxia sunt; unde, forsàn, infectio primùm

orta est. Morbus procul dubio epidemicus est, et contagione specificâ oriri videtur. Sexum utrumque, aetatemque omnem pariter invadit, quamvis infantes praecipuè ad-
oritur; et his non tam lethalis est quam aeta-
te maturiore. In corporis constitutionibus
etiam plethoricis et scrofulosis magis timen-
dus est; et semper lethalior est in urbibus
populo opulentioribus, quam in rure vicisve
sparsis, non modo aërem salubriorem haben-
tibus, verùm in quibus pauciores etiam in-
fantes simul implicantur. Rarissime bis in
vita aliquem invadit (quamvis hujus non de-
sunt exempla *; attamen casibus quamplu-
rimis existere videtur species spuriosa (a
WILLANO rubeola sine catarrho dicta) quae
per aliquos annos interdum (sed saepiùs per
aliquos dies solùm) morbum verum praecedit.
Media hieme, temporeque humido frigi-
do, plus saevit et magis timendus est, preci-
puè sub hoc Britanniae caelo instabili et hu-
mido.

* BATEMAN in Morb. Cutan. Synopsi, p. 62. Nota.

DEFINITIO.

In CULLENI celeberrimi Systemate Nosologico, sub classe Pyrexiarum et ordine Exanthematum posita est Rubeola, et sic depingitur :

“ Synocha contagiosa cum sternutatione,
“ epiphora, et tussi sicca, rauca.”

“ Quarto die vel paulo seriùs erumpunt
“ papulae exiguae, confertae, vix eminentes,
“ et post tres dies in squamulas furfuraceas
“ minimas abeuntes.”

In species duas à CULLENO dignoscitur; nempe in Rubeolam vulgarem et Rubeolam variolodem (Scotis, the Nirles) sed haec pro Rubeolae specie vera minimè habenda est.

A WILLANO enumerantur species tres ;

scilicet, Rubeola vulgaris, Rubeola sine catarrho, et Rubeola nigra. In paginis sequentibus, perspicuitatis causa, de Rubeola vulgari seu benigna, Rubeola typhoidea seu maligna, et Rubeola sine catarrho seu Pseudo-Rubeola, separàtim tractabitur.

DE SIGNIS SPECIEI BENIGNÆ.

Die 10mo ad 14mum post contagionem receptam aegrum invadunt frigus subitum horroresque leves; quibus succedunt ut in pyrexiiis aliis, calor major, sitis, anxietas, dolor capitis, dorsi et lumborum, languor et virium diminutio corpore toto. Inalbescit lingua, at humida est; et rubefaciunt facies oculique, cum epiphora et palpebrarum tumefactione. Quando magna est pyrexia, superveniunt nausea et saepissime vomitus biliosus. Haec comitantur tussis sicca, rauca, raucitas, respiratio difficilis et frequens, sternutatio, et è naribus aquae acridae profluvium. Omnibus fere occurrunt pneumoniae symptoma-

ta magis minusve gravia, sicut dolor lateris, respiratione tracta auctus, tussisque dolorosa, dura. Pulsus validus et frequens est. At haec tamen signa nequaquam omnibus aequae vehementia sunt; nam morbus saepe sine pyrexiae symptomatis multis adoritur, et catarrho levi, epiphora, raucitateque solùm praeceditur; his morbus benignus ferè semper indicatur.

Casibus gravioribus superveniunt spasmata surarum, subsultus tendinum et coma; symptomata haec autem morbo maligno magis quam benigno observantur, praecipue coma, quod illo tam frequens est, ut à medicis quamplurimis, pro symptomate diagnostico habetur.

Ut in aliis pyrexiiis, symptomata omnia antedicta saepissimè manè remittunt, noctèque ingravescent.

Die 3tio, 4to, vel 5to post pyrexiae invasionem, in summa cute efflorescere incipiunt

maculae parvulae rubrae, coloris floridi, pulicis morsiunculas aliquanto simulantes. Hae super mento, fronte et paulatim facie tota apparent; inde ad collum, pectus, brachiaque serpunt et die sequente corpus totum obtegitur. Lenticulas separatas primùm simulant, sed congeriebus formae circularis seu potius semilunaris denique congregatae sunt. Hoc a WILLANO primùm observatum fuit* et ad diagnosin formandum maximè valet. In papillis eminentibus manifestis non elevantur maculae, sed tactu paullò prominentes sentiuntur. Quando remittit febris mane et nocte ingravescit, maculae manè pallescere, vespere autem rubescere solent.

Eruptione manifesta, non remittit pyrexia, ut variola accidere solet; sed, è contrario, saepe multùm ingravescit, et post desquamationem solùm cessat. Tussis, raucitas, respirationis difficultas, epiphora et coryza, multùm etiam exasperantur; et ubi praesens est pneumonia, symptomata omnia gra-

* WILLAN on Cutaneous Diseases, p. 218.

viora fiunt. In casibus levissimis etiam, sanguis e vena missus, et jam concretus, hoc tempore superficiem coriaceam albam ferè semper ostendit.

Die 5to seu 6to maculae, coloris adhuc floridi rubri, fuscae fiunt et facie sine sup-
puratione desiccant, et die 8vo seu 9no pec-
tore et corpore toto evanescent, comitante
epidermidis desquamazione farinosa. Hoc
tempore non infrequens est diarrhoeae magis
minusve gravis invasio, quâ cessata, conva-
lescit aeger.

Hic ordo est symptomatum in specie be-
nigna et casibus levioribus. Raro accidit
ut morbo ipsi succumbat aegrotus, nisi gra-
via sint inflammationis signa; et his etiam,
finis lethalis pneumoniae comitanti plusquam
morbo specifico attribuitur. Ferè semper
magis timentur sequelae quam morbus ipse;
nam manent saepissimè tussis sicca, dolor
pectoris, febris hectica, et phthiseos incipien-
tis signa alia, ut etiam diarrhoea chronica et
pneumoniae praedispositio magna; sed de his

sub sequelis morbi tractabitur. A MORTON etiam, WILLANO, aliisque medicis enumerantur signa, quae ab eruptione repulsa oriri creduntur, sc. pneumonia gravis, glandularum incrementum, enteritis erythematica, &c. Hujusmodi autem exempla raró accidunt, et his etiam ratio symptomatum facilè dignoscitur.

Adultis plusquam infantibus saevire jam dicta fuit Rubeola; feminis etiam gravidis infausta est, abortionem saepe inducens. Aliquantò mirabile est, ut, contagione Rubeolae recepta, et deinde variolae inoculatione ita adhibita, ut appareat Rubeolae eruptio priusquam incipiat pyrexia variolodes, in vulnere inoculato et systemate toto sistetur variolae progressio usque ad Rubeolae cursum completum.

Est etiam Rubeolae benignae species altera, in quâ die 7mo seu 8vo nigrescunt maculae. Minimè periculosa est, et acidi sulphurici exhibitione fere semper curatur.

DE SIGNIS SPECIEI MALIGNÆ.

Morbus malignus dignoscitur signorum omnium praecedentium, praecipuè delirii et comatis cerebri affectionem indicantium, asperitate majore. Maculae aut citiùs aut lentiùs quam specie benigna apparent, et subfuscae seu lividae sunt, haud in forma semilunari congregatae et corpore toto diffusae, sed petechiales et pectore, cubitis atque femoribus solùm sparsae; et earum color non pallescere aut rubescere solet secundum pyrexiae progressum, ut in specie benigna. Corporis calor valde auctus est, haud rarò in manuum et pedum palmis solum, dum brachia et femora frigescunt. Eruptione manifesta, in febre typhodea degenerat pyrexia, et in casibus gravioribus, hujus morbi signis omnibus infaustis comitata est, sicut delirium, coma, virium prostratio magna, excretiones putridae, lingua nigra, pulsus frequentissimus, parvus, durus, atque haud rarò faucium eadem affectio ut in cy-

nanche maligna. Symptomata haec ingra-
vescentia aut non levata, ad finem tragicam
saepissimè conducunt aegrum. Sed rara sunt
hujus speciei exempla; quamvis ex aëris
impuri praesentiâ, seu remediis inaptis ad-
ministratis, in morbo maligno aliquando
convertitur species altera. Constitutionibus
plethoricis aliquando adest proclivitas mag-
na ad pyrexiam typhodeam, et his plus sae-
vit Rubeola maligna, quam aliis fibrâ ita ri-
gida haud praeditis.

DE SIGNIS PSEUDO-RUBEOLAE.

Infantes quamplurimos adoritur morbi
species spuriosa, variolae spuriosae aliquan-
to similis, quae Rubeolae verae invasioni se-
quenti non obstat. Hanc per aliquos annos,
(sed saepiùs per aliquos dies solùm) aliquan-
do praecedit. His efflorescit cutis sine fe-
bri aut catarrho praecedente ullo (minimove
saltem) et retrocedente eruptione, morbo ve-
ro sub forma violenti saepe corripitur aeger.

In casibus quibusdam, per adolescentulis praecipue, morbus ita levis est, ut a pseudo-rubeola vix dignosci potest.

DE SECTIONE CADAVERIS.

In casibus, ubi ad finem lethalem conduit morbus, sectione cadaveris patent pneumonum intestinorumque inflammatio magna, et etiam sphacelus. Quandoquidem adsunt cerebri inflammatio et in ventriculis effusio, praecipue quum formam typhodeam induit pyrexia. Quando succubuit aegrotus, dum manifesta fuit eruptio, tracheae et bronchiarum tubi majores papillis internè obturguntur, unde de tussi post eruptionem apparentem ingravescenti facilè ratiocinetur.

DE DIAGNOSI.

Rubeolam aliis morbis, quibus cum ea signorum quorundam communitas est, digno-

scere, uti utilissimum, sic communiter haud arduum aut difficile est. Usque ad seculi ultimi finem, scarlatinâ saepe confusa erat, sed varia sunt signa a WILLANO praecipue notata, quorum praesentiâ facile dignosci potest. Scarlatinae papillae magis diffusae sunt, rarissime congeriebus formae semilunaris, interponente cutis calore naturali, congregatae. Rubeolae magis eminentes sunt papillae et asperitatem tactui manifestam, scarlatina vix unquam observandam, gignunt. Tussis, epiphora, tarsorumque rubor et tumefactio scarlatinâ raro, Rubeolâ semper adsunt. Differt etiam tempus eruptionis exortus; scarlatinae contagione recepta, die 2do post symptomata pyrexialia in facie et brachiis apparet eruptio, sed Rubeolâ, die 3tio seu 4to solum facie efflorescit, et die 4to seu 5to pectus, brachia manusque invadit. Scarlatinâ etiam fere semper adest cynanche magis minusve gravis, quod autem Rubeolâ raro accidit. A variolâ alterisque exanthematibus, tussis, coryzae, epiphorae, raucitatisque praesentiâ facile dignoscitur. De pseudo-ru-

beola differt symptomatum omnium, praecipuè catarrhi, asperitate majore. Infantes quamplurimos autem, formâ tam levi adori-
tur, ut à rubeola sine catarrho vix dignosci
possit.

DE CAUSIS.

Hujus morbi causae, ut exanthematum caeterorum vix notae sunt, praesertim hodie, quando de contagionis specificae aëre propagatae existentia multùm dubitatum est. Sed autem, e contagione (seu potius infectione) specifica epidemica, per aërem aut aliter propagata, oriri censetur, quia infantes quamplurimos, qui vix inter se communicant, eodem tempore invadit. Eadem contagione dependere videntur species duae, quia familiâ eadem, corripitur unus specie benigna, specie maligna autem alter. Media hyeme temporeque humido frigido praecipuè praevallet, et magis lethalis est; unde morbi propagationi aptum censetur caelum humidum.

Pro causis praedisponentibus habentur; aetas infantilis (sed forsán, major ejus frequentia inter infantes numero eorum majori qui nunquam adhuc sic invasi fuerunt, magis quam aetati praedisponenti attribuitur;) tempus infaustum; plethora; et generaliter pyrexiae causae omnes. Constitutiones corporis plethoricae et scrofulosae speciei malignae magis obviae sunt, et his plus saevit morbus, ex vi inflammationis majori forsán.

DE PROGNOSI.

Pro faustâ habenda est prognosis, praesente pyrexia levi; pulmonibus haud multum affectis; expectoratione libera copiosa; post eruptionis exortum, cutis humiditate; desquamatione matura, libera; diarrhoea levi; viribus infractis.

Terminatio autem lethalis timetur, praesenti pyrexia magna; cute arida, calida; respiratione difficili, plusquam naturâ frequen-

ti; lateris dolore magno; pulsu duro frequentissimo; vomitu bilioso; faucibus ulceratis; diarrhoea gravi; postquam eruptio manifesta est, vomitûs continuatione; pyrexia aut ingravescenti, aut formam typhodeam induente; capitis oculorumque dolore magno; comate; delirio; eruptione subitò disparente aut lividâ factâ; virium prostratione magna; pulsu parvo, intermittente; petechiis et diathesis putrida signis caeteris. His praesentibus, pro typhi gravioris casu habetur, et malis concurrentibus citissimè succumbit aegrotus.

DE RATIONE MEDENDI.

1mo, De speciei Benignae Curatione.

Medico, cui curae est Rubeolâ implicitus, consilium esse debet, actionem inflammatoriam diminuere, atque interea, mala graviora, quibus premitur aegrotus, levare. Quomodo haec fiant, perpaucis dicendum est.

Actio inflammatoria diminuenda est.

Cathartics.—Ut in aliis pyrexiiis, cathartici stimulantés noxii sunt, et inflammationem ingravescunt; alvi solutio igitur, aperientis alicujus mitis sicut olei ricini, sulphatis sodae, aliorumque hujus generis exhibitione procuranda est. Casibus quamplurimis, et praecipuè infantibus, priusquam appareat eruptio, multùm juvat submurias hydrargyri dose parva (grani dimidium ad grana tria secundum aegri aetatem) exhibitum, et postea adhibeatur olei ricini semiuncia ad unciam. Eruptione manifesta, semper magis apti sunt aperientes salini. Adolescentibus, quum pyrexia non magna est, administretur pulvis jalapi compositus, semidrachmae ad drachmam dosi — sed cùm systematis actio valdè aucta est, et adest pneumoniae proclivitas, magis juvant oleum ricini et sulphas sodae, aquâ quamplurima solutum. Si praesens est dolor abdominis, qui post calomelanos exhibitionem haud rarò supervenit, enemate emolliente ex sulphatis sodae solutione et

oleo olivarum composito, facile levatur. Disparente eruptione, et haud praesente diarrhoea, multum juvat cathartici alicujus salini exhibitio, bis terve repetita, undè saepe evitantur ophthalmia, tussis, morbique sequelae caeterae.

Sanguinis Detractione.—Praesente pyrexia magna, seu pneumoniae signis, indicatur venaesectio, secundum aegri aetatem et vires repetenda. Dissentiunt autem medici, quoad tempus venoesectioni aptissimum; eruptione completa magis juvare dicit MORTON*, eruptione disparente SYDENHAM†; sed concurrunt omnes celeberrimi, ut, signorum praesentium naturâ et asperitate plusquam morbi gradatione dirigimur‡. Casibus quamplurimis, incipiente morbo magis valere videtur, utpote systematis actionem auctam, cutis vasorum

* MORTON de Morbillis, p. 54.

† SYDENHAM de Morbis Acutis, p. 277.

‡ CULLEN'S First Lines of the Practice of Physic, Vol. I. p. 350.

constrictionem, alteraque pyrexiae signa levat, et eruptionis exortui favet. Quando etiam adsunt dolor capitis, facies rubicunda, alteraque signa sanguinis ad caput impetum auctum indicantia, multum juvat sanguinis ex arteria temporali abstractio seu hirudines temporibus applicatae; quae repetenda sunt, ingravescentibus aut non levatis signis infaustis. Infantibus etiam, quibus aliquando difficilis est venae seu arteriae temporalis sectio, maximo beneficio e vena externa jugulari emittatur sanguis, et hoc venaesectioni ferè semper praepositum est. In sanguinis autem abstractionem praecipiendo, aegri aetate et constitutione semper dirigimur; quippe quoniam post venaesectionem nimiam seu incautè repetitam, saepe supervenit debilitas magna et febris typhodei praedispositio, tardèque convalescit aeger, et morbi sequelis infaustis vexatur, haud rarò succumbit. Quando etiam jam adsunt debilitas, et roborum prostratio, praecipue quum pulsu parvo, debili et intermittente, et febris typhodei signis comi-

tata sunt, sedulè evitanda est venaesectio (praecipue in infantibus) et etiam abstractio sanguinis ulla, nisi praesentia sint eodem tempore pneumoniae signa seu versus caput sanguinis determinatio; et his etiam, inflammationis diminutio hirudinum seu cucurbitis ferri applicatione cauta magis quam venaesectio tentatur.

Affusione Frigida.—Medicis quamplurimis multum dubitatur si apta sit Rubeolae casibus affusio frigida. Remedium periculosum à quibusdam censetur utpote eruptionem repellens et pneumoniae signa adaugens. Ab aliis autem pro remedio optimo habetur, praecipuè cum valde auctus est corporis calor. E periculis a Dom. MAGRATH apud Plymutham factis, non solum haud periculosam sed etiam maximo beneficio comitatam fuisse videtur*. Nam casibus quamplurimis, carcere Anglicè dicto Mill Prison advenientibus, eventu laetissimo affusionem exhibuit, et his nunquam super-

* Edin. Medical and Surgical Journal, Vol. X. p. 258.

venerunt symptomata infausta ulla, quae a frigore corpori Rubeolâ infecto admoto timentur, sicut eruptionis retrocessio, catarrii ingravescentia &c.; sed è contrario, ejus sententiâ, magis impedita est horum aggressio excitationis suppressione matura, ut in variola et scarlatina ex affusionis usu accidere solet. Maximo etiam beneficio affusionem quater exhibuit celeberrimus CURRIE *. Sicut celeberrimis fere omnibus hodie videatur, multum juvare affusio frigida †, et generaliter regimen frigidum, quum calore multum aucto, pulsu duro, forti frequente, pyrexiaeque synochalis signis alteris, sine pneumonum affectione, vexatur aeger. His igitur adhibeatur aquae frigidae purae, seu aceto commistae, super corpore toto, (vel facie, brachiis femoribusque solùm) affusio vel potius lavatio, et ingravescentibus aut non levatis signis, repeta-

* CURRIE'S Medical Reports, Vol. II. p. 459.

† Fatendum est tamen, in casibus quibusdam raris, ab affusionis frigidae usu incauto, vitam ipsam subito extinctam fuisse.

tur. Habeat etiam aeger pro potu communi, aqua pura pane tosto aliquantò calefacta seu succo limonum saccharoque commista, cui beneficio maximo addatur potassae nitratis scrupula, pro misturae libra quaque. His exhibitis multum reficitur aegrotus, calor auctus diminuitur, et diaphoresis critica somnusque saepissime sequuntur. Si calor haud multum auctus est, sufficit potûs frigidi sine affusione usus. Si autem adfuerint pneumoniae signa, sicut lateris dolor, inspiratione plena auctus, pulsus durus, fortis, et expectoratio magna, pro noxia habetur affusio, utpote pneumonum inflammationem adaugens et nunquam adhibetur, priusquam remediis aptis amoveatur inflammatio localis, et levatis etiam huiusmodi signis gravioribus, cautissimè exhibeatur, ne recurrat sub formâ graviori pneumonia.

Balneo Tepido.—Casibus quibusdam, praecipuè infantibus, ubi adest pyrexia, sine calore multum aucto, et tardus est erup-

tionis exortus, maxime juvat balneum tepidum, seu potiùs aquae tepidae pediluvium, nocte exhibitum. Quando etiam disparet eruptio plusquam solito citiùs, et superveniunt anxietas, delirium et convulsiones, pediluvii seu balnei tepidi diaphoreticis et stimulantibus conjuncti, indicatur usus. Caeteris communiter noxium est regimen calidum, ut pyrexiam adaugens, et aegris minimè jucundum, hodieque minime usitatum est.

Diaphoreticis et Refrigerantibus. Quum adest pyrexia magna et systematis actio aucta, noxia sunt diaphoretica, et rarò exhibentur nisi cùm tardè apparet eruptio, seu plusquam solitò citius disparet. His exhibeatur, horâ quaquà 2da seu 3tia praeparationis alicujus antimonialis dosis parva nauseans, seu solutio acetitis ammoniae, vel haustus salinus, ad transpirationem liberam et cuti determinationem procurandum. Eruptione manifesta, multum juvant haustus nitrosi seu salini, remediis antimonialibus conjuncti. Ca-

sibus gravioribus ferè semper evitantur diaphoretica, nisi venaesectione, affusione frigida, remediisve aliis amoveatur actio aucta, priusquam exhibeantur.

Sedantibus.—A quamplurimis medicis, pro noxiis habentur opiata, quippe pyrexiam generalem pneumoniamque adaugent. Si autem vigiliis et dolore multùm vexatur aeger, cautè adhibeatur tinctura hyoscyami nigri, vel extractum lactucarii, et infantibus saepe maximè juvat syrupi papaveris dosis parva. Quum ingravescit morbus, et tussi urgente, respiratione cita, difficili, pyrexiâque magna comitatur, et noxia censetur venaesectio, seu opii exhibitio, maximè juvat tinctura digitalis, gtt xv ad xxv dose exhibita, et secundum symptomatum progressum repetita. Hoc saepissime levatur pyrexia, et arteriarum actio aucta, liberatur respiratio, et solvitur alvus, dum ingravescunt signa omnia ex opii exhibitione. Sed autem semper cautissimè adhiberi debet digitalis, quia post exhibitionem ejus incautam seu nimis repe-

titam, et etiam primùm faustam, subitò quandoquidem superveniunt virium prostratio, actionis arterialis diminutio maxima, et etiam mors ipsa.

Temperie.—Praesente morbo aut levi aut gravi, in lecto ferè semper se tenere debet aeger, et frigori expositionem ullam sedulè evitare, quae eruptionem repelleret, et pneumoniae signa adaugeret. Sed etiam calor externus aequaliter evitandus est, teguminum numerum diminuendo et aëris puri frigidi admissione libera, quae maximè valet, et aegro ferè semper valdè jucunda est.

Diaetá.—Existente pyrexia, semper adhibendum est regimen antiphlogisticum, et aegro neganda sunt caro, et praesertim stimulantia omnia, et in oryza, radicis sagittariae amylo, alterisque farinosis consistere debet cibus. Sed autem levato morbo et manente debilitate cum diarrhoea signisque aliis infaustis, opus erit regimine aliquantò generoso et stimulante, sicut carne bovina, vino

rubro, aliisque hujusmodi, cinchonâ, acidis et opiatîs conjunctis.

Symptomata graviora, quibus saepissime opprimitur aeger, sunt :

Oculorum affectio gravis, quae rarò ut signum primarium supervenit, sed praesente, collyrii acet. plumb seu acet. zinci solutionis aquâ rosae centifoliae commistae applicatione levatur. Casibus simplicioribus, lactis et aquae tepidae misturâ oculos manè et vesperè detergere sufficit.

Pneumonia.---Praesente hac, venesectione semper opus erit, nisi levissima sit, seu diathesis putridae debilitatisque signis comitata sit. Maximi etiam beneficii est vesicatorii super pectore vel latere applicatio, plus minusve repetenda, secundum signorum progressum. Et praecipuè quum periculosa censetur venaesectio, maximè juvant vesicatoria, inflammationem localem sine vires minuendo levantia. Et si applicatione pri-

ma non amovetur pectoris affectio, bis terve repetenda est, et saepè ad eventum felicem conducit, quum deficiunt remedia omnia altera. His conjunguntur cathartica salina, diaphoretica et refrigerantia, ut in pneumonia simplice.

Tussis, raucitas, fauciumque affectio.---

Cum tussi multùm vexatur aeger, adhibetur pectoralis demulcens aliquis, sicut mistura mucilaginoso, seu mistura amygdalorum, aceto scillae, seu spirito etheris nitrosi conjuncta; et pro potu communi habeat aegrotus, seminum lini usitatissimi, seu hordei decoctum compositum, succo limonum paullò acidulum. Quando respiratione difficili et pectoris dolore comitata est tussis, inspiretur aquae fervidae aceto mistae vapor; multùm etiam juvat pediluvium vespere adhibitum. His levatur tussis et etiam raucitas, fauciumque inflammatio. Si ulceratae sunt fauces, gargarismate aliquantò stimulante, sicut acido muriatico aquâ commisto, vel pulveris capsici in aquâ fervida in-

fuso, opus erit, cui conjuncta sit olei camphorati ammonialis frictio externa, ut in cynanche tonsillari. Si nocte ingravescit tussis, et vigilantiam inducit, multum juvat adultis, opii, hyoscyami, vel extracti lactucarii, infantibus syrupi papaveris exhibitio; sed cum adest pyrexia magna, cautè adhibetur opium, et magis tentatur hujus subjectio antequam administrantur hujusmodi anodyna, ne inflammationem generalem adaugeant*.

Diarrhoea.—Eruptione disparente saepe supervenit diarrhoea, quae non gravis, maximi beneficii est, et nunquam reprimitur, sed cum ultra modum profluit, et debilitatem inducit, astringentis alicujus mitis sicut mist. cretae seu mist. catechu opio conjunctae exhibitione levatur, et his non levata aut ingravescens, adhibeatur confectio opiata, vel enema astringens. Venaesectio etiam, ut monuit DUNCANUS noster, saepè ad diarrhoeam levandum omninò valuit.

* CULLENI Medicina Practica, Vol. I. p. 352.

2do, De speciei malignae curatione.

Cùm debilitate, delirio, pulsu parvo intermittente, signisque aliis supradictis indicatur diathesis putrida, multum differt ratio medendi. His exhibeantur antiseptica et tonica, sicut acida mineralia, cortex cinchonae et vinum rubrum, in quantitate magis minusve magna secundum signorum asperitatem. Praesente pneumonia, cautè evitatur venaesectio, et magis exhibeantur vesicatoria, quae etiam ad capitis dolorem, et delirium, tam saepe praesens, levandum maxime pollent, et pectori seu capiti applicantur. Si multum augetur corporis calor, adhibeatur affusio seu lavatio frigida; sed hâc cautissime agitur. Cum apparent petechiae, putrescentiaeque signa alia, pro febre typhodea pura habetur, et adhibeantur remedia, ut in morbo primario. His maximè juvat aëris puri frigidi admissio, qui aegro semper gratissimus est, caloremque externum diminuit; et ad contagionem destruendum, adhibeatur aceti, acidi muriatici seu

nitrosi fumigatio, quae durante morbo saepe repetitur. Diaeta etiam vino, aliisque ad robores restituendum aptis consistere debet. In hac ut alia specie, in lecto semper teneatur aeger, et evitantur omnia quae calorem externum augere possint.

DE MORBI SEQUELIS.

Magis quam morbus primarius saepe timentur sequelae; nam, levatis signis gravioribus, et convalescente aegro, saepissime superveniunt pneumonia et phthisis pulmonalis sub forma gravissima, seu diarrhoea, signaque alia infausta. Et praecipuè quando levis fuit morbus, eò magis occurrunt sequelae, quia ad frigus evitandum minùs cautus fuit aeger. Casibus etiam levissimis igitur sedulè evitatur frigori expositio ulla, et manente seu superveniente respiratione difficili, lateris dolore, tussique comitata, adhibentur venaesectio et vesicatoria donec levata sint signa; et his conjungun-

tur regimen antiphlogisticum, tincturae digitalis usus, remediaque alia ut in phthisi incipiente. Cùm adest diarrhoea haud gravis, beneficio maximo exhibeatur submurias hydrargyri in dose parva, et catharticis salinis conjunctum; et si dolore ventris comitata est, multùm juvat spiritûs terebinthini seu tincturae saponis *c.* opio super abdomine frictio, et panni lanei circum corpus applicatio. Si autem gravis et debilitate magna comitata sit diarrhoea, opio, enematisque astringentibus opus erit, quibus jungantur tonica et stimulantia, sicut vinum rubrum, tinctura cinchonae, tinctura colombae, aliaque hujus generis remedia, ut etiam diaeta levis, nutriens, et exercitatio sub divo frequens.

Rubeolae aggressionem saepe excitatur scrofula, ubi jam constitutione adest; his ut in scrofula primaria agitur.

Haud rarò post debilitatem magnam supervenit ascites; his ad constitutionem affirmandum maximè nitimur.

Manente oculorum affectione gravi, seu ad ophthalmiam proclivitate, sanguinis temporibus abstractione, et regimine antiphlogistico ferè semper levatur. Si epiphorâ vel ophthalmiâ chronica vexatur aegrotus, magis apta sunt collyria stimulantia, ut jam dictum fuit.

In quibusdam etiam exemplis superveniunt phlegmones, in variis corporis partibus, praecipue glandulis, qui cataplasmata, et alia ad suppurationem promovendum apta postulant.

DE INSITIONE.

Caeteris rei nostrae partibus absolutis, solum restat, ut de Rubeolae insitione seu inoculatione perpauca dicamus, re verè magni momenti, ut morbi mitigandi spem haud levem praebente. Ut insitio ad vim vario- lae lethalem mitigandum tantùm potuit, ita similitudine signorum cognita, quibusdam

medicis, praesertim HOMEO nostro, insitione Rubeolam pariter mitigari posse, verisimile visum est. Neque enimvero inoculatio, ab eo tentata, secus expectatione cessit. Ex periculis enim duodecim, quae fecit, comperitus est, eos, quibus insita est Rubeola, symptomatis omnibus, praeter epiphoram et sternutationem, minus urgeri; et sequelis nullis infaustis vexari. In hoc maximè differre videntur Rubeola insita et Rubeola fortuita, ut illâ semper absunt pneumoniae symptomata omnia. Sed eadem experimenta ab aliis facta, non omninò ad spem responderunt.*

Periculum alium fecit HOMEUS. Xyli portiunculum quae naribus aegri Rubeolâ implicati adfuerat, infantis sani naribus inseruit, adeò ut respirationem per xylum traheret; sed quamvis repetitum erat experimentum, Rubeola haud aggressa fuit adolescentulum.

FINIS.

* WILLAN on Cutaneous Diseases, p. 219.

medicis praesertim HENCO nostro inane
 Rubecula pariter mitigari posse, verissime
 vixit est. Neque enim vero inoculatio, ab
 eo tentata secus expectatione cessit. Hic
 periculis enim duobus, quae sunt, corpor-
 • me est, eos, quibus inuitat Rubecula, vixit-
 tomatis omnibus praeter epiphoram et et-
 nutationem, minus urgeri; et sequelis nullis
 infans vexari. In hoc maximo differe vi-
 dentur Rubecula insita, et Rubecula fortita,
 ut illi semper adsunt pneumoniacae sympto-
 matum genera. Sed eadem experimenta ab
 aliis tentata, non omnino ad speciem responde-
 runt.

Periculum alium docet HORVUS. Xvii
 fortissimum quae naribus aegri Rubecula
 implicati adheret, infans sani, aribus in-
 seruit, adeo ut respirationem per xylum tra-
 heret; sed quanyis repetitum erat experi-
 mentum, Rubecula haud ingressa fuit adole-
 scentibus. De cetero in
 ad hunc modum. Hic, quae innotuit, est
 experimentum, quod innotuit, est
 * WILLIS on Cutaneous Diseases, p. 219.